



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

Dagoberti Regis praeceptum de episcopali dignitate Cadurcae urbis
conlata Desiderio Thesaurario.

urn:nbn:de:hbz:466:1-19366

D A G O B E R T I R E G I S**PRÆCEPTVM DE EPISCOPALI DIGNITATE**

Cadurcæ urbis conlata Defiderio Thefaurario.

D A G O B E R T V S Rex Francorum Episcopis & Ducibus, cunctoque populo Galliarum finibus constituto. Condecet clementiæ principatus nostri sagaci indagazione proseguere & pervigili cura tractare ut electio vel dispositio nostra Dei in omnibus voluntati debeat concordare, & dum nobis regiones & regna in potestate ad regendum largiente Domino noscuntur esse conlata, illis committantur privilegia dignitatum quos vita laudabilis & morum probitas vel generositatis nobilitas attollit. Et quoniam virum illustrem Defiderium Thefaurarium nostrum cognovimus religionis observantiam ab ipso pueritiæ suæ tempore in omnibus custodire & sub habitu seculari Christi militem gerere, ac mores angelicos & sacerdotalem conversationem habere, ut non solum in contiguis sed etiam in longinquis fama bonitatis ejus evulgata crebrescat, ideo credimus eum merito ad sacerdotium provehere quem, sicut diximus, ornatis moribus videmus jugiter ad caelestem patriam anhelare. Et dum civium Abbatumque Cadurcorum consensus hoc omnimodis exposcit ut eum Episcopum habeant, & nostra devotio similiter consentit, absque dubio credimus Dei nutu id fieri, ut dum satis nobis est in palatio nostro necessarius, ipsi nobis quodam modo violentiam inferamus, & eum ab editibus propriis profectui publico procuremus. Sed dum nobis, sicut diximus, eum ab editibus nostris auferamus, [quibus] regiones & regna à Deo sunt commissa, quamvis nobis inferamus dispendium, tales debe-

mus procurare pastores qui secundum Deum & juxta apostolica dicta plebes sibi ac nobis commissas debeant regere, unde nobis merces amplior possit adcrefcere. Quamobrem juxta civium petitionem, nostram quoque concordantem in omnibus voluntatem, decernimus ac jubemus ut, adjuvante Domino, adclamante laudem ipsius clero vel populo, vir illustris & verus Dei cultor Defiderius Pontifex in urbe Cadurca debeat consecrari, & nostra civiumque voluntas quod decrevit in omnibus in Dei nomine perficiatur, & pontificali benedictione sublimetur, dum modo Christo propitio vera hac religione profitemur quod vita & conversatio ejus digna & probata ab universis habeatur, in tantum ut pro nobis & pro universis ordinibus Ecclesie debeat exorare, & acceptabiles Deo hostias studeat offerre, quia ex hoc vitam nobis longiori ævo auctore Domino credimus propagandam, si ille in sacerdotio elegitur & sublimatur qui pro nobis vel pro vobis sibi que commissis securus ante tribunal Christi preces offerat, & in futuro judicio, ut culpas excuset, precator adsistat. Qua de re presentis auctoritate decernimus ut supradictus Defiderius episcopatum in Cadurcena urbe presentaliter suscipiat, & Christo propitio ejus temporibus teneat. Et ut hæc deliberatio voluntatis nostræ firmiter habeatur, manus nostræ subscriptione subter eam decrevimus roborare. *Chrodobertus obtulit. Dagobertus Rex subscripsit.* Data sub die vi. Idus Aprilis anno octavo Dagoberti Regis.

INDICVLVS DAGOBERTI REGIS AD DOMNVM

Sulpitium Archiepiscopum, ut Defiderium benedicat.

D Omino sancto & apostolico Domino meo patri Sulpicio Papæ Dagobertus Rex. Deo & vestræ sanctitati bene credimus esse compertum qualiter fidelis noster vir illustris Defiderius Thefaurarius noster nobis adolescentiæ suæ tempore fideliter deserivit, & nos devo-

tissimam ac monasticam conversationem ejus habemus bene compertam. Ideo nos cognoscite taliter decrevisse, ut in civitate Cadurca, ubi germanus ejus Dominus Rusticus Episcopus prævit, in locum ipsius honorem episcopatus in Dei nomine debeat accipere, quia, divina inf-